

DISPUTATIO XX.

De Eucharistia secundum sc.

EUcharistia vox græca idem significat, quod bona gratia, aut gratiositas sive gratiarum actio; hæc vox applicatur Divinissimo Sacramento Corporis & Sanguinis Christi: quia in hoc Sacramento memoriale omnium gratiarum est institutum in perpetuam gratiarum actionem; inquantum habet rationem Sacrificii incruenti, appellatur Hostia, inquantum habet rationem Sacramenti, à Græcis vocatur Synaxis, à Latinis Communio, quia in hoc Sacramento omnes Fideles invicem in Christo & cum Christo uno capite conjungimur.

QUÆSTIO I.

An Eucharistia sit Sacramentum & unum?

Suppono 1. Signum practicum Gratiae aliud est transiens, quod tantum continet Gratiam in suo usu conferendam, ut cætera Sacra menta præter Eucharistiam; aliud est permanens, quod quidem ad sanctificationem hominum ordinatur, attamen etiam extrâ usum Gratiam continet, & de hoc an vocandum sit verè Sacramentum, modò queritur.

Suppono 2. Unitas Sacramenti alia est materialis, quæ desumitur à rebus & verbis materialiter secundùm suam entitatem spectatis prout ipsum morale compositum videlicet Sacramentum constituunt; alia est formalis, quæ desumitur à significatione, quæ in sacramentali composito est forma, ita ut Sacramentum dicatur materialiter unum, quod

anius

unius speciei rebus & verbis constat, illud verò sit formaliter unum, quod in ratione signi sacri unum est.

DICO I. *Eucharistia est Sacramentum.* S. Th. hic Q. 73. a. 3. ad 3. Ita definitum est in Con. Lateran. relato in cap. firmiter 1. de sum. Trin. lib. 1. tit. 1. Florent. in Decreto Eugenii. Trid. Sess. 7. de Sacram. in genere & Sess. 13. c. 1. quod Christus instituit in ultima Cœna Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Joan. 6. v. 56. effectum ejus declaravit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* & 1. Cor. 11. Apostolus institutionem describit dicens: *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit &c. recolitque in Canone Missæ hanc institutionem Ecclesia: Qui pridie quam pateretur &c.*

*Ex quibus Conclusio ita probatur: Signum sensibile stabili lege institutum, ad significandam & conferendam Gratiam nos spiritualiter reficiendum per modum cibi, est Sacramentum verum, ab aliis distinctum: cum nulum aliud Sacramentum in hunc finem institutum reperiatur; sed Christus Eucharistiam in ultima Cœna instituit, ut esset signum practicum & causativum Gratiæ spiritualiter reficiendis per modum cibi; ergo in ultima Cœna hoc Sacramentum ceu ab aliis distinctum instituit. Ut tum Con. Viennense relatum Clem. un. de reliq. & vener. sanct. lib. 3. tit. 16. his verbis docet: *Transitus de hoc mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Iesus Christus, cum tempus Passio- nis sua instaret, sumptu Cœna in memoriam mortis sue instituit summum & magnificum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum, Corpus in cibum & San- guinem in potum tribuendo.* tum similibus verbis*

Sess. 13. de Eucharist. cap. 2. declarat Trident. Cujus congruentiam S. Th. hic Q. 73. a. 5. adducit in modo ex Eusebio Emisseno Homil. 4. de Pasch. Quia Corpus assumptum ablaturus erat ab oculis & illaturus syderibus, necesse erat, ut die Cœnae Sacramentum Corporis & Sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur jugiter per mysterium, quod sensu offerebatur in pretium. 2dò ex D. Aug. Epist. 216. c. 6. Salvator, quo vehementius commendaret Mysterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoria Discipulorum, à quibus ad Passionem d̄gressurus erat.

DICO 2. Hoc Sacramentum multa quidem est materialiter sed unum formaliter & perfectivè. S. Th. hic Q. cit. a. 2. O.

Probatur: Illa omnia unum efficiunt Sacramentum, quæ unum integrum Sacramenti effectum causant, eundem finem habent, idem objectum significant; atque species Panis & Vini simul sumptæ causant eandem Gratiam videlicet nutritivam, eundem finem habent spiritualem animæ refectionem, idem objectum significant quia hoc Sacramentum significat passionem Christi, spiritualem animæ refectionem, corporis mystici quod est Ecclesia, Unitatem in futura vita consummandam; illa autem non repræsentat sola species Panis, nec sola species Vini: quia in passione fuit Corpus occisum, & Sanguis effusus, in convivio famæ cibo, sitis potu sedatur; Unitas etiam Ecclesiæ eodem convicta significatur, in quo idem cibus idemque potus omnibus sine ulla exceptione vel personarum acceptione administratur; ergo hoc Sacramentum est formaliter unum, licet species Panis & Vini sint materialiter multæ: quia ex illis unum Sacramentum integratur; sicut

unum

unum totum artificiale v. g. Domus ex suis parti-
bus integratur & componitur, aut sicuti
extrema Unctio, quamvis pluribus Unctionibus
& pluribus formis partialibus constet, unicum
tamen est Sacramentum: quia illa omnia ad eundem
finem & ad eundem effectum referuntur;
denique quemadmodum sumptio cibi & potio,
tamen si sint res diversæ: quia tamen ad unum finem
ordinantur, videlicet ad unam corporis refectio-
nem, unicum integrum constituunt convivium, ita
diversæ species unam animæ refectionem causantes
unicum efficiunt Sacramentum.

Obj. 1. Trid. Sess. 13. can. 3. definivit, sub
una specie totum atque integrum Christum verum
que Eucharistiæ Sacramentum suscipi; ergo in
qualibet specie verum Sacramentum, & in duplice
duplex est Sacramentum.

R. Negando secundam sequelam, quæ non
infertur ex antecedente: quia Trident. dicit sub
qualibet specie verum suscipi Sacramentum, non
tamen dicit in qualibet specie esse totale & adæ-
quatum Eucharistiæ Sacramentum, sicut anima ra-
tionalis vera est hominis substantia, non tamen
adæquata.

Obj. 2. Tot sunt Sacraenta, quot sunt signa
præctica gratiæ; atqui quælibet species seorsim
sumpta est signum præticum gratiæ: quia quælibet
species seorsim sumpta continet Christum Fontem
omnis gratiæ, & Laici sumentes unicam speciem
totam gratiam hujus Sacramenti suscipiunt; ergo
in duplice specie duplex est Sacramentum

R. Distinguendo Maj. Quælibet species est
signum præticum gratiæ inadæquatum Con adæ-
quatum N. quia in qualibet specie seorsim sumpta
non invenitur totalis significatio hujus Sacramenti,

quamvis enim in qualibet specie totus Christus contineatur, tota etiam hujus Sacramenti gratia tè disposito per quainlibet speciem conferatur: quia tamen Eucharistia perfectam refectionem spiritualem per modum convivii, cibationem & portionem includentis, significat, non reperitur in qualibet specie seorsim sumptâ totalitas significationis.

Obj. 3. In hoc Sacramento duæ sunt materiae & formæ nullam inter se habentes conjunctionem: cum una species independenter ab alia conficiatur, & independenter ab alia conservetur; ergo in duplice specie duo sunt Sacraenta.

R. In hoc Sacramento esse duas materias & duas formas in ratione significandi inadæquatas, quæ unum Sacramentum integrant, ad quod sufficit unio moralis similis illi, quæ est inter plures domus in eadem civitate, plures milites in eodem exercitu, plures unctiones & formulas in eodem Sacramento Unctionis.

Q U A E S T I O II.

In quo consistat Essentia hujus Sacramenti?

Multa in hoc Sacramento considerari possunt, ut 1^{mo} Panis & Vinum tanquam materia remota, ex qua sit hoc Sacramentum. 2^{dō} Verba Consecrationis. 3^{tiō} Conversio Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Christi, sive transubstantiatio. 4^{to} Species sacramentales, sive accidentia Panis & Vini post Consecrationem remanentia. 5^{to} Corpus & Sanguis Christi sub speciebus sacramentalibus contentus. 6^{to}. Sumptio Eucharistæ.

Ex his 1^{mo} certum est, substantiam Panis & Vini

De
Vini nou
sentiam E
non est ele
gratiā n
tur, nec c
squidem,
substantia
et destruc

Nec 2^d
transsubst
tuitur intr
et causa e
causa effici
intrinsecè

Neque
trinsecè p
non est tra
botum Co
sumptione
tur sumpti
sistere in su

DICO
solutè scilic
ad 3. sive
consistit,
Corpus &
bu: ita u
Christi &
liquo, ita

Probab
cit: Corp
Eucharistia
ipsum Cor
sum Eucha
continens

Vini non pertinere, nec intrinsecè constituere Essentiam Eucharistiae: quia substantia Panis & Vini non est elevata à Christo ad practicè significandam gratiam nutritivam, quæ hoc Sacramento conferunt, nec componit hoc Sacramentum Eucharistiae: siquidem, quando est Sacramentum Eucharistiae, substantia Panis & Vini per transubstantiationem est destruta.

Nec 2dò constituit essentiam hujus Sacramenti transubstantiatio: quia nullus effectus constituitur intrinsecè per suam causam efficientem, quæ est causa extrinseca; atqui transubstantatio est causa efficiens Sacramenti Eucharistiae; ergo nequit intrinsecè constituere hoc Sacramentum.

Neque 3tio ad essentiam hujus Sacramenti intrinsecè pertinet sumptio: quia hoc Sacramentum non est transiens, sed permanens, quod ex vi verborum Consecrationis ponitur antecedenter ad sumptionem, & permanet, tamen si nulla sequatur sumptio; ergo essentia Eucharistiae nequit consistere in sumptione.

DICO: *Eucharistia continet aliquid sacrum ab-solutè scilicet ipsum Christum.* S. Th. hīc Q. 73. a. 1. ad 3. sive Sacramentum Eucharistiae essentia litera consistit, & supponit pro speciebus consecratis Corpus & sanguinem Christi realiter continentibus: ita ut solæ species dicantur in recto, Corpus Christi & verba Consecrationis connotentur in oblique, ita communior Thomistarum.

Probatur 1. Ex Trid quod Sess. 13. can. 1. dicit: Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento Eucharistiae continet; ergo secundum Trident. ipsum Corpus & Sanguis Christi non est Sacramentum Eucharistiae: contentum enim non potest esse continens, sed Sacramentum sunt species, sub

quibus Sanguis & Corpus Christi continetur: quare distinguuntur à Theologis cum S. Th. L. cit. in Sacramento Eucharistiae uti & in aliis Sacramentis tria: Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, res & Sacramentum simul, per Sacramentum tantum intelligunt species sensibiles, rem Sacramenti tantum statuunt gratiam nutritivam; res verò & Sacramentum simul est Corpus Christi, quod imprimis per species sacramentales significatur, non tamen causatur: non enim omnia, quæ Sacra menta significant, etiam causant; deinde corpus Christi etiam significat gratiam, quā viva Ecclesiæ membra tum inter se tum in Christo capite adunantur; sicut ergo Baptismus non consistit essentialiter in ablutione & charactere, qui est res & Sacramentum simul in Sacramento Baptismatis, sed in sola ablutione; ita Eucharistia non in specie bus & corpore Christi ex æquo importatis, sed in solis speciebus consecratis corpus Christi tamen realiter præsens connotantibus consistit.

Probatur 2. Ratione: secundum Concil. Trid. Sess. 13. de Euchar. cap. 3. *Commune hoc est sanctissima Eucharistia cum ceteris Sacramentis symbolum esse rei sacrae & invisibilis Gratiae formam visibilem;* sed hæc omnia verificantur in speciebus taliter acceptis: quia imprimis de se sunt sensibiles; deinde ratione corporis & sanguinis Christi, ad quæ dicunt habitudinem tanquam virtutem activam, habent vim significandi & causandi gratiam nutritivam, ut S. Th. loc. cit. ad 2. inquit: *Species Panis & Vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri;* ergo essentia hujus Sacramenti dicit species ut continent corpus & sanguinem Christi, & quia vi verborum Consecrationis sub eisdem corpus & sanguis Christi continetur, in ob liquo eadem verba connotantur.

Obj.

D
Obj. i
fibile, c
sufficit,
hoc Sacra
tiae contr
sensibilis
¶. Ne
tem, dil
fi ratione
quoscit ta
bilis pœn
autem ad
lunt actus
cramenti
Eucharist
bere mati

Obj.
Conc. Fl
quam ma
solæ spec
gninem C
tistiæ, C
forma E
intrinsec
materiat
ita spec
tiæ, ni
nantur.

¶. D
væ Legis
bus & v
te N. qu
manens
sunt qui
Sacrame

Obj. 1. Licet corpus Christi per se nulli sit sensibile, est tamen sensibile per species, quod sufficit, ut pertineat tanquam pars essentialis ad hoc Sacramentum; sicut in Sacramento Pœnitentiae contritio est pars essentialis, licet per se non sit sensibilis, sed tantum per confessionem.

R. Negando consequentiam & rationis paritatem, disparitas est: quod contritio, quamvis non sit ratione sui sensibilis Confessatio, qui illam cognoscit tantum per confessionem, est tamen sensibilis pœnitenti, qui illam in te experitur; sufficit autem ad rationem illius Sacramenti, cuius materia sunt actus pœnitentis, ut id, quod dicitur pars Sacramenti, sit alicui sensibile; Sacramentum vero Eucharistiae, cuius materia exhibetur, debet habere materiam per se sensibilem.

Obj. 2. Omne Sacramentum novæ Legis iuxta Concil. Flor. constat rebus & verbis, rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ; ergo sola species consecratæ continent corpus & sanguinem Christi non sunt adæquata essentia Eucharistiae, sed simul verba consecrationis, quæ sunt forma Eucharistiae, & consequenter ejusdem pars intrinseca: sicut enim in aliis Sacramentis verba materiam ad gratiæ significationem determinant, ita species Eucharistiae non sunt significativæ gratiæ, nisi quatenus verbis consecrationis determinantur.

R. Distinguendo ant. Omne Sacramentum novæ Legis consistens in aliquo transeunte constat rebus & verbis Con. consistens in aliquo permanente N. quia Sacramentum Eucharistiae est quid permanens, forma autem vel verba consecrationis sunt quid transiens, & effectivè conficiens hoc Sacramentum; hinc quamvis verba necessariò præsuppo-

Supponantur, ut conficiatur hoc Sacramentum, non tamen intrinsecè illud constituunt, sed sicut in Confirmatione & extrema Unctione, licet consecratio chrismatis & benedictio olei ab Episcopo facta necessariò presupponatur ad hæc Sacra menta, illa consecratio tamen non est pars intrinseca horum Sacramentorum, in verba consecrationis omnino quidem desiderantur, ut perficiatur hoc Sacramentum, ipsum tamen intrinsecè non constituunt, sed solæ species sacramentales verba consecrationis connotantes & essentialiter supponentes, ac ita intelligendum est Con. Florent. omnia Sacra menta perfici rebus & verbis, rebus ut materiâ, verbis ut formâ, intrinsecâ quidem respectu Sacramentorum in usu consistentium, extrinsecâ autem & effectivâ respectu Sacramenti Eucharistiae, non in usu consistentis sed permanentis.

Obj. 3. Sacramentum Eucharistiae est id, quod à Christo institutum est ad reficiendos fideles per modum cibi & potûs spiritualis, ut loquuntur SS. Patres; atqui cibus ille spiritualis non consistit in solis speciebus, sed est caro & sanguis Christi, quæ sub speciebus continentur, unde & Christus non de speciebus panis & vini sed de carne & sanguine suo dicit, quod sit cibus & potus.

R. Quod, quando SS. PP. de hoc Sacramento communiter loquuntur, accipiunt Sacramentum Eucharistiae pro omnibus, quæ in illo inveniuntur, & quandoque contentum pro continente rem significatam pro signo significante, corpus Christi autem est res contenta in hoc Sacramento, ut etiam res significata per hoc Sacramentum, est etiam illa virtus, per quam cibatur & potatur anima spiritualiter, in quantum caro & sanguis sub speciebus sumitur.

Obj.

Obj. 4. Sacramentum Eucharistiae est adorandum cultu latræ, atque species sacramentales, etiam consideratae cum habitudine ad corpus Christi præsens, non sunt taliter adoranda: quia solus Deus adoratur; ergo species consecratæ ad minus solæ non sunt Sacramentum.

R. Cum species continent corpus Christi sunt Christo conjunctæ, sunt simul cum Christo adorandæ eodem actu, quo Christus adoratur, ita tamen ut Christus sit res per se priuò adorata, species vero concomitanter adorenur; sicut, qui adorat Verbum incarnatum, eodem actu adorat humanitatem verbi.

Obj. 5. Sacerdos dicitur verbis consecrationis confidere hoc Sacramentum; sed per verbum consecrationis non conficiuntur species; ergo non in speciebus saltem solis consistit essentia hujus Sacramenti, sed ad essentiam etiam pertinet Corpus Christi.

R. Distinguendo Min. Per verba consecrationis non conficiuntur species secundum se Con. in iste Sacramenti N. per verba consecrationis fiunt species continent corpus Christi, quamvis enim ante consecrationem erant accidentia panis & vini inherenteria substantiæ panis & vini, post consecrationem tamen per verba consecrationis sunt accidentia, vel species panis & vini continent corpus Christi.

Obj. 6. Illud omne pertinet in recto vel tanquam pars essentialis ad hoc Sacramentum, quod est terminus consecrationis, sed solæ species non sunt terminus consecrationis, sed compositum ex speciebus & corpore Christi.

R. N. maj. Sufficit enim, quod id, quod est terminus consecrationis, ad hoc Sacramentum pertineat

tineat, vel in recto, sicut ad illud pertinent species, quæ per consecrationem fiunt continent corpus Christi, vel in obliquo tanquam connotatum essentiale, qualiter pertinent ad essentiam hujus Sacramenti corpus & sanguis Christi.

QUÆSTIO III.

*Unde desumatur Unitas numerica hujus Sacra-
menti?*

Variæ circâ hoc sententiæ non tam in re quam in modo explicandi differunt; qui enim hujus Sacramenti unitatem numericam desumunt ab unitate numerica specierum, ut tot ponant numero distincta Sacraenta, quod sunt numero distinctæ species Christum continent, attendunt ad vim significandi & causandi gratiam in actu primo; qui verò unitatem sumunt ab unitate consecrationis respiciunt fieri istius Sacramenti, ut illud Sacramentum dicatur unum quasi in fieri; qui autem considerant hoc Sacramentum ut in actu secundo causans gratiam ejusdem unitatem numericam accipiunt ab unitate sumptionis.

DICO: *Hoc Sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. S Th. hic Q. 73. a. 2. O.*

Explicatur Conclusio: Hoc Sacramentum specie unum, solo numero multiplicatur ex sumptione: quia unum numero Sacramentum est, quod semel sumitur ab uno, etiamsi quis plures Hostias consecratas accipiat, plura autem sunt Sacraenta, & quando unus pluries reficitur, & plures simul reficiuntur, et si illis pluribus una Hostia in plures partes divisa ministraretur: cum enim hoc

Sa-

Sacramentum ad spiritualem fidelium refectionem sit institutum, de illo proportionaliter ratiocinandum est, ac de convivio; sicut igitur convivium ex pluribus ferculis præparatum in actu primo unum est, in actu tamen secundo per plures refectiones numero multiplicatas tot sunt refectiones quot sunt refecti, ita quando Sacerdos plures Hostias per modum unius in eodem Altari vel Sactario ponit, unum in actu primo Sacramentum & convivium spirituale parat, quod dum à variis sumitur, in actu secundo numericè multiplicatur, & ita sicut unitas Eucharistiae specifica ab una specie refectionis desumitur, ita Eucharistiae unitas numerica ex eo, quod ad unam numero refectionem referatur, est petenda.

Obj. 1. Unitas Eucharistiae desumitur ab unitate corporis & sanguinis Christi juxta Apost. I. ad Cor. 10. ¶ 17. *Vnum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus.* & S. Ambros. in cap. I. ad Hebr. omnes Hostias ab initio nascentis Ecclesiæ oblatas & usque in finem mundi offerendas dicit esse unum Sacrificium, deinde si verbum plures assumpsisset humanitates, esset tantum unus homo propter unitatem suppositi.

R. N. ass. ad 1. probat. dico: quod Apostolus sumpserit continens pro contento, quod est unicum nempe unicum corpus & sanguis Christi est sub omnibus omnino particulis & sumptionibus sed in hoc non consistit ratio Sacramenti.

Ad 2. Dico: quod sit unicum Sacrificium, si sumatur pro re oblate, non autem pro ipsa actione offerendi incruente. *Ad 3.* est Disparitas: quod ad multiplicationem termini substantivi requiratur multiplicatio suppositi, pro quo terminus substantivus homo supponit: sed Sacramentum Eucharistiae

charistiae supponit pro speciebus dicentibus ordinem ad spiritualem refectionem, unde numericè multiplicatur per diversam numero refectionem.

Obj. 2. Unitas numerica debet desumi ab aliquo principio intrinseco, sed refectio non est principium Sacramento Eucharistiae intrinsecum; ergo ab ea non desumitur unitas numerica.

R. Distinguendo maj. Unitas numerica compositi physici desunitur à principio intrinseco Con. Compositi moralis N. Sacramentum est compositum morale, cuius unitas desumenda est ab aliquo pertinente ad rationem significandi & causandi gratiam; cum igitur unum in ratione signi practici gratiae in actu primo sit v. g. unica Hostia continens Christum, ob illam unitatem est unum numero Sacramentum quasi negative & in actu primo; quia verò in ratione causantis gratiam non est unum, nisi semel ab uno sumatur, sumptione sit unum positivè & in actu secundo, per quam distinctionem videntur conciliari sententiae oppositæ.

Q U A E S T I O IV.

An Sacramentum Eucharistiae sit in voto necessarium?

DICO: *Hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut Baptismus.* S. Th. hic Q. 73. a. 3. O.

Explicatur & probatur: Baptismus est necessarius ad salutem vel in re vel in voto; tali modo non est necessaria ad salutem Eucharistia, sine qua non parvuli cum adulti, qui illud Sacramentum vel absolute vel reverenter suscipere non possunt, salvantur: de parvulis ita Trid. Sess. 2. i. de commun.

cap. 4.

Cap. 4
carente
Eucha
clesie
nistran
flissimi
lius ten
salutis
dum est
sit nece
cis &
mortis
stiam,
sit nece
me in n
cramen
etiam r
dicto;
medium
ille hab
necessar
tum int
finem:
farius i
intrins
tanqua
unioni
consun
tia; e
necessar
Th. hic
necessar
Obj.
expressi
manduo
Pars

Cap. 4. Sancta Synodus docet, parvulos usum rationis carentes nullā obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem & in fine de veteris Ecclesiae consuetudine in aliquibus locis parvulis ministrandi Sacramentum Eucharistiae inquit: Ut sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro ilius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nullā salutis necessitate sed fecisse sine controversia credendum est. Quod adultis in re illud Sacramentum non sit necessarium constat: quia Ecclesia phreneticis & infirmis vomitum patientibus in articulo mortis ob periculum indecentiæ non dat Eucharistiam, ex quo alterum sequitur: quod etiam non sit necessarium in voto: quia necessitas voti fundatur in necessitate ipsius Sacramenti, ergo cum Sacramentum Eucharistiae non sit in re necessarium, etiam non est necessarium in voto saltem proprio dicto; quod addo: quia quicunque recipit aliquod medium extrinsecè ordinatum ad aliquem finem, ille habet interpretativè votum ipsius finis; sed est necessarium necessitate medii aliquod Sacramentum intrinsecè ordinatum ad Eucharistiam tanquam finem: baptinus enim in re vel in voto est necessarius necessitate medii ad salutem, ille autem ab intrinsecò ordinatur ad Sacramentum Eucharistiae tanquam medium ad finem, & tanquam inchoatio unionis cum Christo per gratiam ad perfectam & consummatam unionem in perceptione Eucharistie; ergo votum Eucharistiae interpretativum est necessarium ad salutem & ita intelligendus est S. Th. hic, dum dicit perceptionem Eucharistiae esse necessariam in voto.

Obj. I. Ferè iisdem verbis Christus Joan. 6. v. 54. expressit necessitatem Eucharistiae dicendo: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & bibere ejus*

Pars III. Theol. Schol.

Cc

Sanguini-

Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quibus Joan. 3. exposuit necessitatem Baptismi; ergo qualis est utriusque necessitas.

R^e. Negando Conseq. Verba enim Christi de Eucharistia important solum præceptum de mandatione, non quidem tantum spirituali, sed etiam reali, quod datur iis adultis, qui se ipsos probare possunt secundum quod Apost. I. ad Cor. II. v. 28. explicat: *Probet autem seipsum homo, & si de pane illo edat & de calice bibat.*

Obj. 2. S. Aug. Lib. I. contra duas Epist. Pelag. cap. 22. ita Pelagianos arguit: *Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi.* Accedit, quod Eucharistia sit cibus spiritualis animæ; ergo sicut sine cibo corporali nequit conservari vita corporis, ita nec sine Eucharistia vita animæ.

R^e. S. Aug. loquitur de re per hoc Sacramentum significatâ, quæ est unitas corporis mystici, ita ut nullus vitam habere possit, qui sit expers corporis & sanguinis Christi, cù quod non pertineat ad corpus mysticum Christi, quod est vera Ecclesia, ex ita quam salus haberi non potest. Ad rationem dicendum, quod sicut vita corporalis sine hoc vel illo determinato cibo, sed non sine omni cibo conservatur, ita anima non vivit spiritualiter sine gratia sanctificante, quam Christus conservat & auget, sed non per hoc determinatum medium videlicet per Sacramentum Eucharistiaz, sed per alia media.